

De Regulis Syllogism. 30. 403
an verò vitiosus sit, tradi solent regulæ quæ-
dam, quarum aliæ sunt generales, quæ scil.
in omnibus figuris observandæ sunt; aliæ
verò speciales, quæ non ad omnes figuras
spectant. De his nunc agendum, & primò
quidem de generalibus.

2. Prima regula generalis est: *In syl-
logismo (categorico) sint tantum tres ter-
mini.*

3. Potest hæc regula facillè probari ex fun-
damentò syllogismorum, dicto scil. de Omni
aut Nullo: hoc enim requirit, ut (a) prædica-
tum de omni subjecto affirmetur vel negetur:
(b) ut sub subiecto aliquid contineatur, nem-
pe minor terminus, (γ) ut prædicatum affir-
metur vel negetur de eo, quod sub medio
continetur: ex quo patet, trium tantum ter-
minorum mentionem fieri, 1. prædicati, 2. sub-
jecti, & 3. ejus, quod sub subiecto continetur.

4. Sciendum autem, quod duobus
modis fieri possit, ut plures quàm tres
termini sint in syllogismo, (a) ut plures
sint etiam quoad voces, ut in hoc syllo-
gismo: *O. animatum nutritur. Lapis est
inanimatus. E. lapis nutritur.* Hic, quo-
ad ipsas voces, quatuor sunt termini,
nempe 1. animatum, 2. nutritur, 3. lapis,

Cc 2

4. ma.